

tuatur, ut hujusmodi votis pro non-adjecis habeatis, ex puris consensibus celebratur Electio, voce illorum, qui non purè consenserunt, ea vice in 75 alios residentes. Cùm enim aliqui subinde nolint dare suffragium, vel quòd seipfos ad certam personam determinare non possint, vel, ne fortè ad Electionem minùs digni cooperentur, timeant, per immisionem.

QUÆSTIO XV.

Valeatne Electio per accessum?

76 **E**Am non valere, si nempe, publicatò jam Scrutinio, votorumque Canonicò numerò haud inventò, pars minor velit accedere majori, cum Passerino de *Elect. cap. 40. quest. 2. num. 38.* & aliis (quibus meritò accensendus est Card. de Luca de *Benefic. disc. 13. num. 14.* & Matta de *Caus. Consistor. Sect. 19. §. 2. num. ult.*) jam deductum & stabilitum 77 est in *praf. cap. à num. 414.* Et licet non nemo existimet, valere saltem Electionem per acclamationem, puta si, publicatò Scrutinio, nullòque ex electis vota absolutè ma-

voti albi seu vacui suo juri tacitè renuntiare censentur; atque adèd vota similia non numerantur, idemque est, an quis votum legitimum non dederit, an verò à Capitulo voluntariè recesserit, aut illud studiosè nunquam accesserit per *cap. cum nobis 19. cap. quod sicut 28. cap. Ecclesia vestra 57. de Elect.*

jora habente, pars minor de repente simul & semel dicat, se parti respectivè majori adherere; attamen non video ullam rationem, quà ejusmodi acclamatio ab accessu differat, nisi in solo nomine: quandoquidem sive acclametur, sive aliò modò pars minor aggregetur majori, verum est dicere, partem minorem accessisse majori; semperque rationes, contra accessum à nobis adductæ, contra acclamationem & alios ejus generis noviter excogitatos loquendi modos, ex æquo pugnant.

QUÆSTIO XVI.

An, si primum Scrutinium sit nullum, necessariò deveniendum sit ad secundum?

79 **Q**uando in primo scrutinio vota ita sunt dispersa, ut nullus ex electis habeat vota absolutè majora, factà nimirum comparatione ad totum Capitulum, hic & nunc congregatum, unus ex Scrutatoribus, qui scrutinium publicavit, & quot quisque tulerit suffragia, declaravit, hæc vel simili formulâ dicere potest: cùm nullus ex electis sortitus fuerit vota absolutè majora, sicque non habeatur Electio Canonica, ad novam Electionem progrediendum, & quænam eligendi 80 forma placeat, deliberandum erit. Indeque confurgit quæstio: an Capitulum de necessitate constringatur ad iterandum scrutinium; vel, eò relicto, possit ad compromissum procedere? Ex ea forsitan dubitandi ratione, vel quòd, assumptâ viâ scrutinii, censeatur esse compromisso renuntiatum; vel quòd, publicatò semel Scrutinio, non liceat variare *cap. publicatò 58. de Elect.* Verùm pro certo teneo, liberum esse Capitulo, aut scrutinii aut compromissi formam assumere. Ita in terminis ferè Fagnanus ad *cit. cap. publicatò num. 36.* Ratio est: tum quia in *cap. quia propter 42. de Elect.* forma scrutinii non præscribitur determinatè vel absolutè, sed indeterminatè & alternativè, veluti constat ex verb. *vel saltem eligendâ potestas &c.* in alternativis autem licitum & liberum est, 82 alterutrum facere: tum quia, si primum scrutinium non sit Canonicum, sed nullum & irritum, idem est, ac si nunquam fuisset institutum; consequenter, sicuti

ante scrutinium Capitulares potuissent ad compromissum devenire, sic etiam post scrutinium, nulliter & absque effectu celebratum: tum quia compromissi via est subsidiaria per tradita Panormitani ad *d. cap. quia propter vers. vel saltem n. 2.* & Matta de *Consistorial. caus. sect. 19. §. 4. n. 2.* eaque propter, si Capitulares ex primo scrutinio adverterint, Electionem concordem tam facile sperari non posse, pro feliciore & certiori concordia in subsidium ad compromissum convolare possunt: tum quia, si electâ semel viâ Electio- 84 nis licitum sit, effectu non secuto, transire ad viam postulationis, & econtra *cap. ad hoc 1. in fin. cap. gratum 2. de Postulat. Pralar.* Matta ad *Concord. German. num. 73.* non obstat ulla ratio, cur non similiter, acceptâ viâ Scrutinii, liceat facere transitum ad compromissum.

Ad rationem dubitandi Resp. per assumptionem scrutinii eò minùs compromisso renuntiatum videri, quòd hæc duæ formæ non sint incompatibiles, sed una alteri subordinata, & ut dictum, subsidiaria; quòdve, 86 publicatò scrutinio, variare non liceat, id intelligendum est, quando variatio tendit in præjudicium electi seu nominati, potiorum votorum partem habentis, uti cum communi notat Fagnanus *cit. num. 36.* cùm tamen, si nullus ex electis seu nominatis habeat potiorum votorum partem, nullus habeat aliquid jus quæsitum, nullique præjudicium inferatur.

QUÆ-

QUÆSTIO XVII.

Qualiter ante publicatum Scrutinium variare liceat?

87 **S**upponitur à plerisque, licere Electoribus, antequàm publicetur scrutinium, variare, votumque jam datum revocare per argumentum, à sensu contrario ex *d. cap. publicatò 58. de Elect.* petum. Passerin. de *Elect. cap. 18. n. 31.* ubi id etiam extendit ad illam hypothèsin, quâ vota jam in scriptis re- 88 data sunt. Verumtamen idem Passerin. *num. 33.* sapienter advertit, hanc variationem non procedere in scrutinio secreto, ubi vota per schedulas conjiciuntur in calicem vel urnam: tunc enim, cùm schedulæ confundantur, & commisceantur, non amplius discerni potest, quænam sit hujus vel illius Capitularis; & licet unus diceret, hanc vel illam schedulam à se datam, ipsi non creditur, ne detur anti fraudibus, collusionibus, aut litigiis. Nisi forsitan, qui primam schedulam in calicem immisit, re adhuc integrâ, priusquàm alia ab alio immittatur, illicò revocare vellet. 90 Quòd si verò totum Capitulum aut major pars ante publicationem scrutinii peteret,

ut datæ schedulæ comburantur, novumque scrutinium formetur, quacunque ex causa, quam manifestare non tenetur, moveatur, *cit. Passerin. num. 34.* arbitratur, hoc omnino concessum esse: stat enim in libertate Capituli aut majoris partis, mutare, quòd fecit, quàm diu res integra, & nemini adhuc jus quæsitum est.

Porro scrutinii publicatio fieri consuevit 91 à primo Scrutatore, vel alio, si ex schedularum apertura apparuerit, in primum Scrutorem majora vota cecidisse; præviâ interrogatione hòc vel simili modò: placetne Vobis, Contrates charissimi, ut vota vestra in communi publicentur, indeque appareat, quis majorem suffragiorum numerum tulerit; ipsisque sibi placere respondentibus, clarâ & intelligibili voce dicit: N. sortitus est tot vota; N. sortitus est tot vota &c. Quòd ipsum indicio est, licere Capitularibus seu majori parti publicationem scrutinii recusare, & ad novum, suspensâ eadem publicatione, transire.

QUÆSTIO XVIII.

Quomodo vota debeant esse secreta?

92 **P**asserinus de *Elect. cap. 17. quest. 2. à n. 5.* contra nonnullos masculè defendit, stante tum Jure Communi, tum dispositione Concilii Tridentini *sess. 25. de Regular. cap. 6.* vota sufficienter manere secreta, etiam si non dentur per schedulas complicatas, sed per vocem vivam ad aures Scrutatorum, ita ut nemini eligentium nomina, datæque ab ipsis suffragia, quàm solis scrutatoribus, aliisque, qui ex officio Interfunt scrutinio, manifestentur, & à præfatis Scrutatoribus nunquam publicentur. Quamobrem Matta ad *Concordata in num. 60.* dum refert formulam instrumenti Electionis per scrutinium, per parenthesin studiosè observat, quòd, si vota danda sint oratenus, in eodem instrumento ponenda esse sequentia: *sum primus Scrutator surgens votum sum tulit, secundo, & tertio Scrutatoribus oratenus; & secreto excipientibus, qui in scriptis illud redegerunt; cùmque recessisset ad locum suum, secundus Scrutator votum sum oratenus, ut supra, tulit primo & tertio Scrutatoribus, qui pariter illud adnotarunt &c.* Quam- 93 vis idem Author de *Consistorial. caus. sect. 19. §. 3. num. 10.* veram praxin fore, insinuet, hujusmodi suffragia dari per schedulas, ut observatur in Electione Summi Pontificis; imò & in aliis actibus Capitularibus proficuum censent, ut semper suffragia dentur secreto, præcipuè quando de gravibus rebus est agendum, ad hoc, ut quisque, quòd senserit, absque ullo timore aut alio respectu liberè possit exprimere. Barbofa de *Canon. cap. 36. n. 23.*

QUÆSTIO XIX.

An & quando propalatio Votorum Electionem vitiet?

94 **V**otorum propalatio potest fieri vel intra, vel extra Electionem, & quidem, si extra fiat, vel antedecenter, vel consequenter. Omnes ejusmodi hypothèses enucleatè examinat Passerin. *d. cap. 17. q. 3. à n. 9.* cujus vestigia secutus, 95 Resp. I. per publicationem seu propalationem votorum Electionem vitari, irritamque reddi, si fiat intra Electionem, ac v. g. Capitulum, absque Scrutatoribus, publice det sua suffragia; vel, assumptis Scrutatoribus,

Capitulares sua vota non ipsorum auribus committant, sed palam pronuntiant, ut à Capitulo audiantur; vel, si Scrutatores vota, secretè data, cum nominibus eligentium publicent, aut eadem nomina in Decreto Electionis ad Confirmatorem transmittant. Rota Rom. in *rec. p. 4. decis. 574. num. 54. & seqq.* Barbofa ad *Concil. Trid. d. Sess. 25. de Regular. cap. 6. num. 8. & 10.* Idemque dicendum, 96 si etiam unius duntaxat voti manifestatio fiat in ipsa Electione, toto Capitulo vel majori par-

H 2

parte consentiente; secus, si dissentiat, aut ignoret: cum altoquin minor pars, invitâ & contradicente majori, totam Electionem irritare possit; quod profectò arduum foret
 97 & difficile. Passerin. d. l. num. 12. Quin & pariformiter discurrendum esse, si eligentes dent schedulas, unam aut plures, aliquò patenti signò vel caractere notatas, ut ex eo Scrutatores aut eorum aliquis agnoscant nomen eligentis per talem schedulam, quidam decisum referunt apud Barbolam cit. l. 98 num. 9. Quod tamen non admittit Passerin. d. l. num. 17. & seqq. nisi statutum speciale extet, irritans Electionem, in qua nomina eligentium, si vota per schedas consignentur, Scrutatoribus patefiant: quia per se loquendò neque Juri Communi, neque Tridentino Concilio adversatur, ut Scrutatores eligentium nomina habeant perspecta. Idque à fortiori & in omni casu procedere videtur, quando Capitulum aut pars illius potior nec scit, nec consentit similibus schedis, ab uno aut altero per malitiam ita signatis.
 100 Resp. II. per publicationem seu manifestationem votorum, antequàm procedatur ad Electionem vel ad scrutinium, Electionem subsequenter non fieri nullam. Passerin. d. l. num. 35. & seqq. Ratio est I. quia, ut vota maneant secreta ad mentem cap. quia propter 42. de Elect. & Trid. d. Sess. 25. cap. 6. satis est, ita in Electione conferre suffragia, ut non innotescant, nisi ad summum Scrutatoribus: atqui ante scrutinium neque est Electio; neque Electores de presenti dant suffragium; neque Scrutatores in officio sunt constituti, sed, quidquid aliqui dicant, se velle in futurum agere, aut etiam jurent, se vota non alteri quàm Titio v. g. daturus, pro voto aut Electione formali nequit consideratione maneant liberi, possintque, non obstant prior declaratione, etiam juramentò obfirmatâ, votum in alium & talem dirigere, quem censent esse digniorem; nec adeò rorum sit, ut multi, qui antea in certam personam conjuraverant, postmodum à Spiritu Sancto illuminati, aut horrore juramenti, quod præstiterunt de eligendo digniore, absteriti in aliam & magis meritam respexerint.
 102 II. quia, tametsi adhuc controversum sit, utrùm tractatus aliquis prævius seu consultativus circa personam eligendam Electioni sit præmittendus? prout in præf. cap.

QUÆSTIO XX.

Utrùm, si primum Scrutinium non sit Canonicum, Capitulares possint petere, ut Electio differatur in diem sequentem?

108 Resp. affirmativè. Ratio est: partim quia nulla est necessitas, ut primo scrutinio eadem mox die in continenti subjungatur alterum, ut patet in Electione Summi Pontificis, ubi non unò die complentur omnia scrutinia, sed per multos dies aut etiam men-

ses continuantur: partim quia, absolutò unò 109 scrutinio, Capitulares censentur officio suo perfuncti arg. cap. publicatio 58. de Elect. nec possunt pro tunc ad ulteriora compelli, nisi jam instaret dies ultimus, ad eligendum de Jure præfixus, Passerin. de Elect. cap. 32. num. 6. par-

à num. 363. explicatum est; attamen, suppositâ etiam sententiâ negativâ, non videtur esse prohibitum, ut Electores (salvâ tamen justitiâ & charitate, quæ sæpius in ejusmodi eventibus periclitatur) inter se prævid. conferant de virtutibus, meritis, & dignitate eligendorum: in rebus siquidem humanis, 103 & majoris momenti negotiis, plerumque non temerè vel præcipitanter, sed maturè, & adhibito aliorum consilio, procedendum est; vixque, ut loquitur Passerinus in n. 38. ulla Electio sit aliò modò, quàm ut Electores nedum dicant, se velle hunc vel illum eligere, sed aliis quoque suadeant, eosque in suam sententiâ pertrahere studeant: quod certè malum non est, sed licitum, si desinat minæ, conventiones, pacta &c. solumque rationibus, intra limites charitatis & justitiæ, propter bonum commune unus alteri persuadear, ut ab Electione indigni vel minus digni desistat, ac digniorem eligat.
 Resp. III. neque per votorum propalationem, factam post Electionem, illam, antehac validam, invalidari. Passerin. d. l. n. 39. & seqq. Ratio est: quia, ubi Electio semel valuit, & vota sunt data secretò, semper valet; nec potest aut hominum malignantium improbitate irritari, aut jus, quod Prælati ex Electionis acceptatione quæsitum habent, ipsi innocenti & contradicenti adimi. Imò, 105 uti Passerinus graviter ponderat textum in cap. quia propter 42. de Elect. illius vigore publicari debent nomina eligentium, quatenus collatio meriti ad meritum, & zeli ad zelum locum habere valeat: consequenter publicatio votorum in hoc sensu non tantum Electioni non contraria, sed etiam ad illam est requisita. Quòdvis Concilium Trid. 106 eligentium publicationem interdixerit, & hoc ipsò duplicem hanc collationem sustulerit, vel tantum ad Regulares pertinet, vel spectat ad solos Scrutatores, quibus in ipso Scrutinio nomina eligentium propalare nefas est. Interim, nisi iusta causa suffragetur, 107 nemini licitum est, post Electionem manifestare, in quem suffragium suum contulerit; præsertim Scrutatoribus, qui ex officio ad silentium obstringuntur. An verò sit peccatum leve, vel grave talis manifestatio? Disputat Passerin. d. num. 43. saltem, ubi ex manifestatione sequitur notabile damnum, à mortali vix excusabitur.

ses continuantur: partim quia, absolutò unò 109 scrutinio, Capitulares censentur officio suo perfuncti arg. cap. publicatio 58. de Elect. nec possunt pro tunc ad ulteriora compelli, nisi jam instaret dies ultimus, ad eligendum de Jure præfixus, Passerin. de Elect. cap. 32. num. 6. par-

110 partim quia, sicuti ante primum scrutinium Capitulo datur spatium deliberandi, quid in re tam seria & gravi agere oporteat; ita & ante sequens scrutinium oportet habere ali-

quod tempus de novo consultandi, dum ex primi scrutini publicatione ut plurimum apparet, systema Electionis, antehac formatum, ex parte vel ex toto fuisse mutatum.

QUÆSTIO XXI.

An, si denegetur petita Electionis dilatio, petentes contra denegationem possint appellare?

111 Resp. affirmativè. Ratio est: quia, quotiescunque alicui gravamen injustè infertur, illi suppedit remedium appellationis; signanter in causa Electionis, in qua, si quis interesse quoddam habeat, petatque, Electionem

differri, nec tamen à Capitulo ipsi deferatur potest contra intempestivam Electionem remedium appellationis arripere per cap. cum inter 16. cap. cum nobis 19. de Elect. Passerin. d. cap. 32. num. 3. & seqq.

QUÆSTIO XXII.

Utrùm interposita appellatio id operetur, ut subsequens Electio sit planè nulla?

112 Resp. quòd, si major pars Capituli, non obstante appellatione, eodem die procedat ad novum scrutinium, Electionem interim valere, usquedum Superior Ecclesiasticus, ad quem devoluta est appellatio, bene appellatum judicaverit. Ratio est: quia appellatio extrajudicialis, qualis est illa, quæ contra futuram Electionem interponitur, effectum solummodò devolutivum, non ve-

rò suspensivum, operatur; adeoque ea, quæ pendente appellatione gesta sunt, interim valent, donec à Judice ad quem causa fuerit cognita; rescindenda postmodum, ubi is bene appellatum esse, decreverit per cap. consideravimus 10. de Elect. & ibi Glossa verb. appellationem &c. & Abbas num. 1. Passerin. d. cap. 32. num. 7. Pirhing ad cit. tit. num. 266. Wieselner ibid. num. 285. & seqq.

QUÆSTIO XXIII.

Quâ formulâ in instrumento Electionis per compromissum sit utendum?

114 Exhibet illam Matta de Consistorial. caus. Sect. 19. f. 4. numer. 32. hujus tenoris: „placuit universis & singulis per viam compromissi viduata Ecclesiæ providere, de- „deruntque plenam & liberam facultatem. „N. seu (si nempe plures sint compromissarii) N. N. Viris fidelissimis, de cujus seu „quorum pietate, zelo, & prudentia omninò „confidunt, ut idem seu iidem collegialiter, „sive pars ipsorum, vice sua seu eorum & „totius Capituli per Electionem concordem „Ecclesiæ vacanti, prout convenirent inter „se, DEUM bonumque statum ipsius Ecclesiæ præ oculis habentes, de persona idonea „providere, omnem potestatem & vicem „singulorum Capitularium ac totius Capituli super hoc eis committentes, ita ut unus „ipsorum de consensu aliorum Compromissariorum vel majoris partis eorum, vice „sua & Collegarum totiusque Capituli, illum, in quem omnes ipsi vel major pars „eorum convenirent, eligeret, & Electio-

„nem solennem ac solenniter in præsentia „totius Capituli publicaret. Qui compromissarii, secedentes in partem, & Spiritu „Sancto denuò invocato, maturâ deliberatione atque examinatione habita inter se „diligenti, tandem in N. convenerunt, quem „N. unus ex compromissariis secundum formam in compromisso appositam elegit in „Episcopum seu Abbatem, & publicavit dicens: ego N. Compromissarius concorditer electus juxta facultatem, in compromisso traditam, meò & aliorum Compromissariorum, mihi consentientium, ac totius Capituli nomine eligo in Episcopum „vel Abbatem &c. Quando autem „in compromisso dispositum est, ut Compromissarii eligant illum, in quem major pars Capituli consenserint, post verba Spiritus S. devotè invocato &c. adjungendum est: „& „requisiverunt super hoc singulorum Capitulorum vota, quibus auditis, & maturâ „deliberatione &c. ut supra.



QUÆSTIO XXIV.

Utrum electus ante obtentam Confirmationem possit administrare?

- 116 **N**egativa fuit definita in hoc cap. num. 491. & in num. 493. facta exceptio in Episcopis & Prælatibus Germaniæ, quorum Confirmatio spectat ad Sedem Apostolicam, qui, ubi electi fuerunt in concordia extra Italiam, statim administrare valent; licet multi non utantur hâc facultate, usquedum in scriptis
- 117 **Placet** (ut vocant) ex urbe adveniat. Solet nimirum instrumentum peractæ Electionis absque mora transmitti Romam, ibidemque, ante examen Electionis, expediri Breve seu beneplacitum Apostolicum, cujus tenore neo-electus administrator in spiritualibus & temporalibus constituitur, ac cura & regimen ipsi plenariè committitur, cum facultate liberè disponendi de fructibus, redditibus, & proventibus mensæ; sed ad sex menses duntaxat, intra quos literas super confirmatione Electionis hujusmodi impetrare, ac jura Cameræ Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere tenetur. Potest igitur talis Electus omnia tum quoad potestatem Jurisdictionis quàm Ordinis (si jam antea ordinatus sit) facere, quæ facere posset, si jam esset confirmatus; aut saltem, si consecratus non sit, actus Ordinis alteri

jam consecrato delegare. Et quamvis alicui dubium esse posset, an ejusmodi electo Episcopo liceat Ordines conferre, aut ordinandi licentiam vel literas dimissorias concedere; atteatâ dispositione Concilii Tridentini sess. 7. de Reformat. cap. 10. statuentis, quod non liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum à die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex Juris dispositione, quàm etiam ejusmodi privilegii aut consuetudinibus concedere: attamen, quia ex una parte hæc dispositio loquitur de solis Capitulis Ecclesiarum, non autem de Prælatu Electo; ex altera verò parte Sedes non vacat amplius, quando Electus à Summo Pontifice per Breve seu Placet generalem administrationem accepit, sicuti docui in lib. 3. tract. 1. pag. 351. num. 46. eò minùs ad casum nostrum applicanda venit, quod in ipso Breve in fine apponi solet, Ecclesiam censeri vacantem, si neo-electus intra sex menses præstanda non præstitit; sicque supponitur, Ecclesiam non esse vacantem, quàm diu tempus mensium adhuc currit, sed ita considerari, ac si Prælatum actu regentem haberet.

QUÆSTIO XXV.

An Confirmatio suppleat defectus, in Electione admissos?

- 122 **M**atta de Confessorial. caus. sect. 20. num. 42. & seq. refert Authores pro utraque opinione, affirmante & negante. Quæ tamen utraque cum distinctione coadunari potest, dicendò, quod, si confirmatio fiat in forma communi, non suppleat defectus, in Electione admissos, qui eò tempore, quò confirmata est, necdum erant cogniti arg. cap. cum dilecti 4. de Confirmat. ut. vel inut. Sin verò in forma speciali cum prægnantibus clausulis fiat, defectus suppleat per cap. de confirmationibus 2. d. t. Qua in re apprimè considerandus est stylus Sacræ Congregationis, quæ, si adsit in Electione forma Juris Naturalis, id est, consensus majoris partis de Capitulo, & nihil contra personam electam opponi possit, etiamsi defectus Juris positivi, id est, omisso Solennitatum Canonicarum adsit, impertiri solet Confirmationem cum clausula: *supplentes defectus*; & aliquando cum alia & fortiori clausula, *supplentes etiam quoad substantiam &c.* Matta cit. l. num. 44. Cardinalis de Luca de Canonic. disc. 27. num. 1. & seq. & de Regular. disc. 1. num. 94. & seq. Eminentissimus Card. Vincentius Petra in Commentar. ad Constit. Apostol. som. 5. pag. 29. n. 44. Ali-

quando etiam omninò cassata Electio, & decernitur provisio Apostolica ad normam Concordator. §. placet 3. ibi: *vel si presentata minus fuerint Canonica, providebimus*; quo in puncto certam regulam præscribi non posse, idem Petra observat; siquidem in celebri illa Electione Monasteriensi ab eadem Sacra Congregatione die 23. Decembris anno 1706. resolutum fuit, Electionem Episcopi Paderbornensis, à majori parte Capituli factam, esse confirmandam cum clausula *supplentes*; cum verò pars minor instaret, ut dubium iterum examinaretur, die 10. Maji 1707. prodidit alia & hæc resolutio: *SS. D. N. auditis votis DD. Cardinalium & Prælatorum, qui rem totam maturè atque exactissimè discussissent, præviò recessu ab approbatione aliàs factâ decreti cæsi ab hac S. Congregatione d. die super confirmatione Electionis Episcopi Paderbornensis, utramque Electionem esse cassandam decrevit: utraq; autem Electionis cassatâ, decrevit in simul vacanti Ecclesia Monasteriensi ex integro providere de persona ejusdem Episcopi Paderbornensis, juxta modum à Sac. Congreg. præscribendum.* D. Anton. Flav. de Sanctis in Exam. Consistor. cap. 12. numer. 103. & seq.



QUÆ.



QUÆSTIO XXVI.

Quam pœnam incurrat Episcopus, non recipiens Consecrationem intra tempus præfixum?

- 127 **I**n cap. præf. num. 549. hæc pœna ex Concil. Trid. Sess. 23. de Reformat. cap. 2. insinuata est. Verba Sacræ Synodi ita sonant. *Ecclesiis Cathedralibus, seu Superioribus, quocumque nomine ac titulo præfati, etiamsi S. R. E. Cardinales sint, si minus Consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur, si intra eorundem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipsò jure sint privati.* Exinde deducitur I. pœnam privationis Ecclesiæ esse quidem à Jure jam inflicta, proindeque ad illius incursum non requiri sententiam condemnatoriam, aut præviam aliquam monitionem; requiri tamen sententiam declaratoriam criminis seu facti, quòd nempe intra tempus statutum ex negligentia electi & confirmati Episcopi non fuerit petita Consecratio. Fagnanus in cap. cum ex ipso de Translat. Ep. num. 10. & seqq. Vincentius Petra ad Constit. Apostol. d. tom. 5. pag. 209. num. 14. & 15. quamvis Eminentiss. hic Author censeat, in foro conscientie, etiam non prolata sententiâ declaratoriâ, vim suam exferere; quandoquidem Urbanus VIII prohibuit Majori Pœnitentiario & cæteris Officialibus Pœnitentiariæ, super pœnis præfatis dispensare cum Episcopo non consecrato, titulum revalidandò, aut fructus condonandò; adeoque supposit, fructus unâ cum titulo statim fuisse amissos.
- 130 **D**educitur II. quando Episcopus, electus & confirmatus, laborat justò impedimento, quò minùs intra præfixum tempus Con-

secrationem recipiat, pœnam hanc non incurri, veluti constat ex cit. Trident. in verb. *id facere neglexerint*, uti si impediatur à morbo, vel detineatur ab hostibus. Petra d. l. pag. 208. num. 13. Quod tamen impedimentum ab Episcopo concludenter probari, simulque ostendi debere, quòd omnem diligentiam ad illud removendum impenderit, cum Barbosa in collectan. ad cit. Concil. num. 3. & Passerino de Elect. cap. 25. num. 355. tenet idem Petra; ac propterea in facti contingentiâ, ubi Archi-Episcopus Grangonorensis in Indiis Orientalibus intra tres menses à die Confirmationis Consecrationem non receperat, & impedimenta, quæ allegaverat, probare non poterat, pœnam amissionis ipsò factò incursum judicavit; et si, cum transactò jam terminò, consecratus fuerit, in cit. pag. 209. num. 15. putaverit, posse indulgeri per Sanctissimum rehabilitationem, & revalidatione tituli cum condonatione fructuum, & convalidatione omnium gestorum.

Quid autem si Episcopus, jam confirmatus, ita vitaretur corpore, ut non amplius possit ordinari? Barbosa J. E. V. lib. 1. cap. 9. num. 29. sentire videtur, quòd removendus sit ab Episcopatu. Verùm Passerinus cit. l. num. 255. in f. Petra d. pag. 208. num. 13. & alii veriùs censent, ipsum, si sine culpa ejusmodi vitium corporis contraxerit, non esse removendum, posseque ea, quæ sunt Jurisdictionis, per se ipsum exercere, cætera verò, quæ sunt Ordinis, per alium administrare.

QUÆSTIO XXVII.

A quodam Archi-Episcopi consecrati debeant recipere Pallium; & qualiter eò uti oporteat?

- 136 **P**allium Archi-Episcopi consecrati recipiunt à Summo Pontifice juxta dicta in hoc cap. num. 585. Interdum immediatè, maxime si Cardinalitiâ dignitate fulgeant, & in urbe præsentibus sint, veluti exempla recentia recenset Eminentiss. Petra d. l. num. 5. pag. 207. sub num. 9. subinde mediatè, & quidem, si petentes sint in Curia, traditio actualis Pallii fit per Cardinalem primum Diaconum, præviâ fidei professione, ac juramento fidelitatis, & recipiente præstitò; sin verò absentes fuerint, ad petitionem procuratoris, & instantiam Advocati Consistorialis in pleno Consistorio delegatur aliquis Episcopus, aut, in penuria Episcoporum, unus ex Prælatibus de Capitulo, qui Pallium absenti impertiatur. Idem ibid. Card. de Luca in Relat. Cur. Rom. disc. 5. num. 19. Thomasin. de nova & vet. Eccles. discipl. lib. 2. cap. 57. num. 4. Ex quo laudatus Petra pag. 809. & seqq. infert, non posse Archi-Episcopum absentem ab alio re-

cipere Pallium, præterquam ab eo, quem Pontifex immediatè delegavit, dum in re scriptis oportet strictè procedere, neque interpretationem ab una persona delegata ad aliam citra nullitatis periculum facere licet cap. P. & G. 40. de Offic. Jud. Deleg.

Quoad usum Pallii ultra dicta à nobis in cit. cap. à num. 587. notandum I. illum ad eò personalem & ad certam Ecclesiam esse restrictum, ut etiam, si Archi-Episcopus transferratur ad alium Archi-Episcopatum, novum Pallium requiratur; & quamvis antèrius Pallium secum asportet ad novum Archi-Episcopatum, eò tamen amplius uti non potest; & si moriatur, sepelitur cum utroque, ita tamen, ut ultimum imponatur circa humeros intra planetam, & primum supponatur ejus Capiti, vel supra corpus ponatur. Barbosa J. E. U. lib. 1. cap. 7. n. 119. D. de Sanctis in Exam. Consistor. cap. 10. n. 150. & seqq. Quin &, si ex dispensatione S. Pontificis quis

142 duos

duos Archi-Episcopatus acquireret, duo Pallia essent necessaria, & quodlibet in sua Ecclesia gestandum. Vincentius Petra d. l. 143 pag. 214. sub n. 39. ubi recenset exemplum novissimum de Cardinale Judice Archi-Episcopo Montis Regalis, cujus Pallium jam receperat, & postquam per optionem recepit Episcopatum Ostiensem, recepit quoque Pallium alterum pro hac Ecclesia à Sanctiss. D. Nostro Benedicto XIII.

144 Notandum II. usum Pallii esse solum in Missa solenni, habitâ in diebus, specialiter à S. Pontifice determinatis, juxta textum in cap. 6. Dist. 100. ibi: *Pallium sibi transmisimus, quò fraternitas sua intra Ecclesiam ad sola Missarum solennia utatur.* Et quia etiam in congregatione & inchoatione Synodi Diocesane & Provinciali, veluti in una ex majoribus festivitatibus, Archi-Episcopus solennem Missam celebrat, minimè dubitat, solidèque probat Eminentiss. Petra d. l. pag. 211. à num. 29. Pallium tunc accipi posse & debere; allegans exemplum tam in D. Carolo Borromæo, in suis provincialibus Conciliis

Pallium adhibente; quàm in moderno SS. Pontifice, qui in Synodo Provinciali Beneventana anno 1693. idipsum fecerat.

Notandum III. usum Pallii Archi-Episcopo fuisse concessum in qualibet Ecclesia per totam suam provinciam, etiamsi exempta sit; & sive actu visitet provinciam, sive alia causa ibi commoretur. Petra d. pag. n. 25. & seqq. Matta de Consistorial. caus. sect. 2. num. 27. de Santis d. cap. 10. n. 124.

Notandum III. Pallium esse diligenter & honorificè custodiendum; eoque propter qualemcunque casum amissò, posse quidem ab Archi-Episcopo interim celebrari, sed cum obligatione, ut novum petat. Petra pag. 213. num. 38. sicut & novum petere tenetur, quando est corrolum, utpote quod comburendum, & cineres in sacrarium reponendi sunt. Idem ibid. quietiam in eod. & seq. n. 39. decernit, novum peti debere, quando id, quod Româ missum est, ad eum gustum reperitur, ut in eo Archi-Episcopus sine notabili deformitate nequeat celebrare.

QUÆSTIO XXVIII.

Quenam in Electione Summi Pontificis notatu digna sint?

149 Multa de hoc argumento tractata fuerunt in cap. prof. sect. 6. per tot. His amplioris declarationis causâ addendum I. circa eligendos in Summum Pontificem, etiam uxoratum non esse ineligibilem, ita tamen, ut uxor professionem in Monasterio emittere teneatur: Nec enim ex Jure Divino provenire videtur, ne quis, uxore dimissâ, ad Papatum evehatur; imò uxorati ad Religionem & Clericatum se conferre valent, si uxores pariter Religionem intrent, aut remanentes in sæculo ac de incontinentia non suspectæ, votum simplex castitatis emittant. Cardin. de Luca in Relat. Cur. Roman. dist. 3. num. 22.

151 ubi etiam de cæco advertit, quòd, licet aliàs cæcitas superveniens officia jam habita non tollat, sed impediat, ne alia de novo assequatur, Electio tamen, de cæco facta, subsistat.

152 Addendum II. ea, quæ ad præambula & formam hujus Electionis spectant, pleraque fuisse determinata in duplici constitutione Gregorii XV. nempe unâ, quæ incipit *acervis Patris &c.* editâ anno 1621. decimo septimo Calend. Decembris; alterâ, quæ incipit: *decat Romanum &c.* & continet cæremoniale ejusdem Electionis, publicatâ anno 1612. quarto Idus Martii; atque ab Urbano VIII. in alia constitutione, quæ incipit: *ad Romanum Pontificem*, & anno 1625. 5. Calend. Februarii prodiit, approbatâ.

153 Nempe speciatim constituitur, ut scrutinium bis singulis diebus peragatur, ita ut etiam perficiatur, manè scilicet post solitam Missam, & prima quidem die tantum post Cardinalium sacram peractam communionem; &

promeridianò tempore horâ opportunâ post Hymnum *Veni Creator Spiritus*, & orationem de Spiritu Sancto. Præterea sancitur, ut Scrutatores tres, sicut & tres alii Cardinales, qui ad infirmorum suffragia deferenda progrediuntur, ex omnibus Cardinalibus præsentibus in Conclavi, nullâ ordinis servatâ distinctione, immediatè ante quodlibet Scrutinium per ultimum Diaconorum per sortem extrahantur, & qui semel extracti fuerint, in vos iterum conjiciantur; alioquin si quis contrafecerit, sicut si Scrutatores vel recognitores aliquid secreti in exercendo suo officio cognoverint, & illud revelaverint, latè sententiæ excommunicationem incurrant. Ad hæc ordinatur, ut in *iniquo sermone*, antequàm schedula in calicem (qui, qualis esse debeat, in hisce constitutionibus non determinatur) mittatur, à quolibet Cardinali juramentum aliâ & intelligibili voce fiat his verbis: *testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, me eligere, quem secundum DEUM iudico eligi debere, & quòd idem in accessu præstabo.* Et hoc juramentum à nullo omittatur.

Insuper in accessu, qui toties permittitur, quoties in scrutinio nullus sortitus est duas tertias, præcipitur, ut pariter fiat per schedulas secretas & sigillatas, ac eadem omnia servantur, quæ servantur in scrutinio; nonnullis tamen exceptis, inter quæ est, quòd accessus fieri non possit ad eum Cardinalem, qui in scrutinio saltem unum suffragium non obtinuerit, neque ad eum, qui ab ipso Cardinali fuit in scrutinio nominatus. Demum statuuntur Recognitores & Deputati pro infirmis, statim quidem

post scrutinium, si secuta sit in eo Electio, si verò non sit secuta, post scrutinium & accessum, cum scilicet Scrutatores suum impleverint munus per numerationem suffragiorum; per hos fit recognitio inspiciendò tam schedulas scrutini & accessus, quàm suffragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut per hujusmodi recognitionem con-

stare possit, an Scrutatores sincere & fideliter muneri suo satisfecerint. Quæ & plura alia ex ipso Constitutionum fonte, & adhuc magis ad captum, ex praxi colligi poterunt; omniaque, à me aut aliis hac in parte scripta, haud aliter, quàm juxta hunc tenorem, accipi, vel declarari debent.

QUÆSTIO XXIX.

An & quatenus jus eligendi vigeat apud Regulares?

160 Apud Benedictinos à primæva institutione jus eligendi Abbatem proprium in usu erat: extat enim in S. Regula specialis sanctio, nempe in cap. 64. de Ordinando Abbate, eumque ordinandum esse, constituitur quem sibi omnis concurs congregatio, vel etiam pars, quamvis parva, saniori consilio elegerit; suntque ad hoc probandum permulti textus Juris Canonici, in hoc cap. num. 714. allegati. Ex quibus insuper colligitur, generaliter loquendò etiam Abbates aliorum Ordinum à suis Conventibus seu Capitulis Regularibus de 161 Jure Communi eligendos esse. Jam enim antiquitus Abbates erant quasi-sponsi suorum Monasteriorum per cap. no pro defectu 41. de Elect. & uti Monachi stabilitatem habuerunt in Monasteriis, ita & Abbates, factâ electione, perpetuò prærant, nec poterant absque causa canonica removeri per cap. Monachi 2. §. prioratus de Statu Monach. Thomasin de Discipl. Eccles. vet. & nov. tom. 2. lib. 2. cap. 53. num. 3. Eminentiss. Card. Vincentius Petra in Commentar. ad consuet. Apostol. tom. 1. pag. m. 545. n. 41. Hæcque observantia adhuc viget in quibusdam provinciis, signanter in Germania, ubi Abbates à suis Monachis eliguntur, ut tanquam Sponsi Monasteriorum constituuntur, servatâ formâ communis Electionis, à Concilio Generali in cap. quia propter 42. de Electione præscriptâ. Petra d. l. pag. 546. num. 42. Rota Rom. in recent. p. 4. decis. 312. & 574. per tot.

163 Extra Germaniam alia circa electionem Regularium rerum facies; & quidem in Italia in Congregatione Benedictina Cassinensi, cum Abbates ab initio fuerint triennales, postea quinquennales in uno Monasterio (licet semper in dignitate maneat, & de loco ad locum mutentur) sicque matrimonium cum suis Ecclesiis Regularibus non contrahant, non eliguntur à Monachis singulorum Monasteriorum, sed à Definitoribus, in Capitulo Generali deputatis. Petra d. l. num. 52.

164 In Congregationibus Hispaniæ Abbates sunt tantum triennales, nec perpetuò in dignitate, eligunturque à Capitulo Generali, quod fit quòlibet trienniò; & si interea decedant, usquedum celebretur novum Capitulum triennale, per Generalem & Definitoribus constituntur. Idem ibid. In Gallia pleræque Abbatæ dantur in commendam, & per Capitulum generale constituuntur Piores

P. Schmier Supplem. Jurispr. Canonico-Civili.

amovibiles; exceptis quinque principalibus Cisterciensium Abbatibus, scilicet Cisterciensi, Morimundensi, Clarevallesi, Firmitana, & Pontiniacensi. Petra d. l. Num verò in Abbatem possit eligi, qui quidem sit ejusdem Ordinis seu Regulæ, diversæ tamen & specialis Congregationis, uti sunt Benedictini & Cistercienses?

In negativam defleat Eminentiss. Petra cit. l. pag. 552. num. 75. tum quia in constitut. Eugenii III. quæ incipit: *sacrosancta &c.* præcipitur, quòd Abbas Cisterciensium eligendus sit de eodem Ordine: tum quia in Clem. cum rationi 1. de Elect. prohibetur, ne Religiosus aliquis in Abbatem vel Prælatum aliorum Religionis vel habitus de cætero eligatur: cum rationi non congruat, ut homines disparis professionis vel habitus simul in eisdem Monasteriis sciuntur.

Pro affirmativa autem faciunt, quæ à nobis traduntur in cap. seq. à num. 178. ubi cum Joanne Caramuele probatum est, Benedictinos ad Abbatias Cistercienses, & vicissim Cistercienses ad Abbatias Benedictinas, non indigere solenni postulatione, sed minùs solenni, quæ parum aut nihil discrepat ab Electione. Quòd verò Benedictini dispari à Cisterciensibus habitum portare videantur, eò minùs Electioni refragatur, quòd certius apparet, illam disparitatem valde modicam, & in solo colore, quem juxta S. P. Benedictum in Reg. cap. 55. Monachi non debent causari, constitutam esse.

An & quatenus Episcopus vel alius possit acquirere jus eligendi in Monasteriis? Discutit idem Petra pag. 547. à n. 49. Item an Episcopus possit habere facultatem, ut interfit Electioni Abbatis Regularis exempti, aut istum confirmet? Examinat idem pag. 550. à num. 62.

An Superiores Regularium, qui deputantur à Capitulo Generali, vel aliis Superioribus, debeant deputari per vota secreta? Non obstante ratione, quòd Concil. Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 6. id universim requirere videatur; cit. Petra pag. 547. num. 46. & seqq. respondet negativè: quia Concilium debet intelligi de Electionibus, quæ fieri oportet per modum Electionis Collegii seu Monasterii Monachorum; secus autem, si ob Statuta, aut alias causas Superiori Generali competant, ut declaravit